AUTHOR:

TITLE:

INDEX SCHOLARUM PUBLICE ET PRIVATIM...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

Master Negative #

92-80599-18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books       FUL/BIB   NYCG92-B31875          Acquisitions     NYCG-PT
Record 1 of 0 - Record added today
+
 ID:NYCG92-B31875               RTYP:a    ST:p    FRN:   MS:   EL:      AD:05-06-92
 CC:9668  BLT:am      DCF:?    CSC:?    MOD:     SNR:       ATC:        UD:05-06-92
 CP:gw      L:lat     INT:?    GPC:?    BIO:?    FIC:?      CON:???
 PC:n       PD:    /           REP:?    CPI:?    FSI:?      ILC:????    II:?
 MMD:       OR:    POL:     DM:      RR:         COL:       EML:       GEN:   BSE:
 040      NNC=|cNNC
 245 10   Index scholarum publice et privatim in Academia Georgia Augusta per se
        mestre hibernum anni MDCCLVII-LIX=|h[microform].
 260      Gottingae,=|bTypis epressit officina academica Dietrichiana. (Guil. Fr

          Kaestner.)
 300      25 p.
 LDG      ORIG
 QD       05-06-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-9-92   INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX
SCHOLARUM
PUBLICE ET PRIVATIM
IN ACADEMIA
GEORGIA AUGUSTA
PER SEMESTRE HIBERNUM

ANNI MDCCCLVIII—LIX.

A DIE XV. M. OCTOBRIS USQUE AD DIEM XV. M. MARTII

HABENDARUM.



Praemissae sunt Hermanni Sauppii quaestiones plautinae.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
(GUIL. FR. KAESTNER.)

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
GEORGIUS WAITZ D.
CUM SENATU.

Inter fabulas plautinas Pseudulus arte plane admirabili insignis est, qua poeta ingeniosissimus servi mores expressit, a quo fabula nomen traxit. Hic animus in summa corporis turpitudine omni consiliorum copia affluentissimus et fallaciarum architectus vaferrimus, risu iocoque vim irruentis calamitatis eludens ac levi spiritu, ut Augusti comitis Platensis verbis utar, moles gravissimas propulsans, pericula omnia, etiamsi qua ratione depelleret nondum reperisset, suis tamen artibus depulsum iri certo confisus, nulla re nisi Simmiae, fallaciarum socii, pari suae astutia territus, in levitate ille cogitationum servili de rerum humanarum fragilitate graviter philosophans (2. 3, 11 sqq.) — hic Pseuduli, inquam, animus mira artis perfectione adumbratus poetam ostendit intimos pectoris humani recessus novisse neque ulla statuisse servos et ingenuos nisi fortunae differentia discriminari. Quam fabulam cum per hiemem proxime superiorem publice interpretarer, iucundissimum mihi fuit denuo intelligere, quantum Plautus Friderici Ritschelii ingenio et eruditioni eximiae deberet, haud ita raro tamen factum est, ut de iis, quae homo doctissimus vel novasset vel intacta reliquisset, aliter statuendum esse videretur: quod qui artis criticae in Plauti fabulis via ac ratione faciundae et novitatem et difficultatem norunt non mirabuntur. Quare hac opportunitate indici scholarum hiemalium uberrimo praefandi ita uti constitui, ut de aliquot locis fabulae lepidissimae, ad quos rectius constituendos mihi viderer aliquid conferre posse, breviter exponerem.

Ac primum quidem argumenti II. in uno cod. deletitio ambrosiano servati versus 15. hic est: *scorto Calydorus potitur vivo Pseudulo.* Postrema cum sensu carerent, A. Maius *astu Pseuduli* vel *fraude Pseuduli*, P. Romeijn (Pseuduli p. 8) et F. Ritschelius *salvo Pseudulo* scribi voluerunt. Quod cum a codicis vestigiis nimis recedat, tum parum est, quod Pseudulus salvus fuisse dicitur, qui postquam adversarios omnes vicit festivo loco festive acceptus (5. 1, 9) actu quinto lepide ebrius in scenam redit et laetitia exultat. Nec actus quinti significationem in argumento prorsus deesse posse existimo. Quare videtur scribendum esse:

scortó Calidorus pótitur, vino Pseudulus.

Ita enim Plautus ipse 4. 4, 13 quid actu quinto secuturum esset breviter indicavit: *ite hác, triumphe, ad cántharum rectá via.*

Deinde 1. 1, 42 in libris sic legitur: *lacrumans titubanti animo corde et pectore.* Hiatus cum ferri non posset, Ritschelius scripsit *titubantique.* Sed cum ipse in codice A videri *titubans* esse testetur, maiorem veri speciem habet poetam dedisse: *lacrumáns et titubans ánimo, corde et péc-*

tore. Sed quod Ph. Parens voluit *animo et corde et pectore*, id apud Ciceronem eiusque aetatis scriptores alios restituendum esset, de quorum consuetudine perpetua accuratissime N. Madvigius opusc. acad. vol. 1 p. 333 sqq. disputavit, ac Terentium quoque dicturum fuisse ex iis apparet, quae Th. Ladewig symbol. terentian. (Neustrelitz, 1858) p. 23 sq. exposuit. Sed hanc aequalitatem neque poetas ante Terentium neque post eum omnes tanta diligentia secutos esse exempla a M. Hauptio obss. critt. p. 31 sqq. collecta ostendunt. In eorum numero etiam Plautum habendum esse loci docent permulti, quorum hic duos affero, Pseud. 2. 4, 72 (762): *ómnes ordine égo sub signis dúcam legionés meas áve sinistra auspicio liquido atque éx mea senténtia.* Mil. gl. 4. 2, 40 (1031): *lamentári ait íllam miseram, crúciari et lacrumántem se adflictáre.* Sed Pseud. 2. 4, 45 dubitari potest, num necessaria sit Ritschelii coniectura: *étiam chlamyde opúst, machaera et pétaso.*

1. 1, 55 sqq. *ut, qui húc adferret éius similem súmbolum, cum eo simul me leno mitteret. ei rei dies haec práestitutast próxuma ad Dionýsia.* Sed cum v. *leno* Ritschelius addiderit ac verba *cum eo simul* uno iambo includi satis durum sit, de alia versus emendandi ratione cogitandum est. Ac viam ipse monstravit Ritschelius, cum haec adnotaret: '*leno*] quo si videremur carere posse, probarem *Cum eo simitu* coll. v. 1012.' Constat enim priscam particulam *simitu* (Nonius p. 175, 15. Gloss. Plaut. Ritschelii. Bonnae, 1846 p. vii.) a Plauto haud raro usurpatam (v. C. Kampmann. de reb. milit. Plauti p. 34 et in Zimmermanni diurn. lit. ant. 1840 p. 356 sq. Ritschel. proleg. Plaut. 1 p. cxliii), cum post eam aetatem fere obsolevisset — nam Attium tantum (v. 79 Ribb.), Lucilium (Nonius l. d.), Pomponium Atellanarum scriptorem (v. 100 Ribb.) seculo septimo ea usos esse reperimus —, nullo fere loco inscitiam librariorum et temeritatem effugisse. Sed superest, ut leni mutatione desiderium vocis *leno* removeamus. Nam scribendum est: *cum eó simitu mitterer. ei rei dies* —: cf. 2. 2, 55: — *cúm eo aiebat vélle mitti múlierem.* 4. 2, 55: *et cum eo simitu múlierem mitti volo.* Similiter *curer* pro eo quod est in libris *curet* I. Gulielmus 3. 1, 8 restituit. Cum vero ex iis, quae Ritschelius proleg. p. clxxx et A. Fleckeisen in annal. philol. LXI p. 35 sqq. exposuerunt, vix possit dubitari, quin *mitterer* apud Plautum non possit nisi cretici mensuram habere, v. *ei* una syllaba pronuntiandum esse intelligimus. — Quod deinde Ritschelius v. 59 *proxuma ad Dionysia* scripsit, cum in libris *ad* non esset, non necessarium est. Recte enim praestituta dies Dionysia ipsa fuisse dicuntur, quanquam 1. 3, 140 et 2. 2, 28 de proximo die ante Dionysia dici videtur. Nam Dionysia ipsa intelligi Calidori verba v. 60: *cras éa quidem sunt: própe adest exitiúm mihi* ostendunt. Neque in tribracho rariore illo quidem —*xumá Di* — videtur haerendum esse.

1. 1, 70. *haec quáe ego scivi ut scires curavi ómnia* libri omnes, nisi quod BCD *scibi.* Ritschelius vero *conscripsi* posuit pro eo, quod est *scivi.* Quod cur mutaverit, non intelligo. Nam et hiatus in priore syllaba solutae in duas breves arsis legitimus est neque in sententia repre-

hendi quidquam potest. Phoenicium Calidoro scribit se omnia quae ipsa comperisset cum Calidoro communicasse, ut in quanto res suae discrimine essent perspiceret.

1. 2, 24. Verba Ballionis servis quae facienda essent mandare incipientis haec sunt: *Tu qui úrnam habes, aquam ingere: face plenum ahenum sit cito.* Sed cum pro eo quod est *cito* in *A* Ritschelius COPO apparuisse testetur, num dubitari potest, quin hoc sit COQO, ut Plautus scripserit: *face plénum ahenum sit coco?* cfr. v. 35: *intro abite atque háec celerate, né mora quae sit, cócus quom veniat.*

1. 2, 44. 45. Ritschelius hos versus sic constituit:

fácite mi hodie ut múnera multa huc áb amatoribús conueniant.
nám nisi mi annuos cóngeretur pénus, cras populo próstituam uos.

Ballionis lenonis verba sunt scorta, quae domi suae habet, increpantis. Sed in libris Plauti haec habentur:

facite hodie ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant.
nam nisi penus annuus hodie convenit, cras populo prostituam vos.

Posteriorem versum ita etiam Cledonius p. 1896 P. affert, nisi quod *mihi* post *nisi* addidit. Priscianus vero 5, 44 p. 170, 14 H.: *Plautus in Pseudulo: Nisi mihi annuus penus hic ab amatoribus congeratur, cras populo prostituam vos, o puellae.* (*ab* deest in DL. — *congeretur* D, *congeritur* GK). Idem 6, 76 p 260, 18 H.: *Plautus in Pseudulo: Nisi mihi annuus penus ab amatoribus congeratur* (*congeritur* RBHGLK). Servius Aen. 1, 703: *Masculino vero genere Plautus: nisi mihi annuus penus datur.* Charisius 1 p. 74, 28 K.: *nam Plautus in Pseudulo eodem fere loco et masculino genere dicit hic penus et neutro hoc penus* (v. 1. 2, 91). Hi grammaticorum loci comprobant *penum annuum* hic a Plauto commemoratum esse. Verum enim vero animadvertendum est ex iis quibus v. 44 continetur vocabulis *hodie* et *conveniant* respondere iis, quae in codd. v. 45 leguntur *hodie convenit*, deinde *mihi* legi etiam in principio v. 45, qualis a Prisciano et Servio affertur, *huc* respondere v. *hic*, quod Priscianus l. priore v. 45 addit, *ab amatoribus* denique a Prisciano utroque loco v. 45 addi. Quae cum considerassem et v. 1. 2, 48 contulissem: *mánipulatim múnerigeruli fácite ante aedis iám mi hic adsint.* et v. 1. 2, 91: *nísi hodie mi ex fúndis tuorum amicorum omne huc pénus adfertur*, non dubitavi v. 44. ad sententiam illum prorsus supervacaneum delere, quippe qui ex interpretamentis v. 45 adscriptis ortus esset. Simili modo Ritschelius v. 1. 2, 73 *simul prohibeat faciant advorsum eos, quod malint*, 1. 5, 87 sq. verba *istuc aberat longius: illut erat praesens*, 1. 5, 130 *de istac re aut si de ea re unquam inter nos convenimus*, alia, orta esse vidit. Cf. ad v. 1. 5, 109. Philolog. 1 p. 300 sqq. Mus. rhen. 6 p. 446.

1. 3, 121. Libri (praeter *A*): *ego scelestus nunc argentum promere possum domo.* Quae cum falsa esse metrorum leges ostenderent, Ritschelius scripsit: *égo scelestus núnc argentum dòmo potissum prómere.* Sed cum OSSUMDO etiam in *A* in fine legi potuisse tradiderit, verisimilius est Plauti hunc versum fuisse: *égo scelestus núnc argentum prómere hinc possúm domo.* Similiter postea A. Fleckeisen vidi scripsisse: — *pró-*

mere mihi possúm domo. Sed *hinc* magis videtur convenire et parum placet dactylus *promere.*

1. 4, 13 sqq. Pseudulus secum ipse colloquens dicit: *atque égo me iam pridem húic daturum dixeram, ac vólui inicere trágulam in nostrúm senem: verum is nescio quo pácto praesensit prius.* In versu postremo quanquam interpretes non haeserunt, magnam tamen videtur dubitationem habere. Pseudulus enim 1. 1, 120 viginti minas Calidoro alicunde bona aut mala opera corrasurus vel patri illius se surrepturum eas dicit neque quidquam commemorat, se id frustra iam, cum praesensisset ille, tentasse. Deinde v. 19 dicit: *ex hóc sepulcro vétere viginti minas effódiam ego hodie*, sed, si antea iam id Simo praesenserat, dicendum erat, se *iterum* hodie periculum facturum. Porro 1. 5, 7 Simo: *atque id iam pridem sénsi et subolebát mihi, set dissimulabam.* quibus auditis Pseudulus v. 12 dicit: *praesénsit: nihil est praedae praedatoribus.* Quae ita dicta sunt, ut tunc demum Pseudulus intellexisse videatur Simonem praesensisse: neque enim Pseudulus in ea sententia esse potest, ut Simonem quidquam de eo, quod nunc agitet, comperisse existimet, sed nihil suspicatur, nisi Simonem in universum praesensisse pecuniam a filio Calidoro quaeri. Nisi tunc primum Pseudulus Simonem praesensisse intellexisset, dicere eum necessarium erat: *iterum praesensit.* Quare v. 15: *verum is nescio quo pácto praesensit prius* delendum esse dico, ita ut Pseudulum, cum Simonem et Calliphonem accedere vidisset, sermonem coeptum abrupisse v. 16 indicet: *set cómprimunda vóx mihi atque orátio est.* Ille ipse versus, quem attuli, 1. 5, 12 videtur effecisse, ut hoc etiam loco, quem tractamus, grammaticus similem addendum esse opinaretur.

1. 5, 124. Tribus locis Plautus in hac fabula stipulationis formulis ludens utitur. Primum 1. 1, 116 Calidorus stipulatur: *dabísne argenti mi hódie viginti minas?* Pseudulus spondet: *dabó: molestus núnciam ne sís mihi.* Deinde 4. 6, 14 Simo stipulatur: *viginti minas dabin?* Ballio spondet: *Dabuntur.* Tertius locus hic est, de quo dicturi sumus. In sponsione eam ipsam vocem, qua stipulator usus erat, repetitam esse certis testimoniis constat. Paulus 2. 3, 1. Dig. XLV, 1. l. 5 §. 1: *stipulatio autem est verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum facturumve se, quod interrogatus est, responderit.* Gaius institut. 3 §. 92: *verbis obligatio fit ex interrogatione et responsione, velut DARI SPONDES? SPONDEO, DABIS? DABO, PROMITTIS? PROMITTO, FIDE PROMITTIS? FIDE PROMITTO, FIDE IUBES? FIDE IUBEO, FACIES? FACIAM. Sed haec quidem verborum obligatio DARI SPONDES? SPONDEO propria civium Romanorum est; ceterae vero iuris gentium sunt, itaque inter omnes homines, sive cives Romanos sive peregrinos, valent.* Quodsi ea legimus, quae 1. 5, 121 sqq. scripta sunt: PSEUD. *set si effécero, dabin mi argentum, quód dem lenoni, ílico tuá voluntate?* CALL. *Iús bonum orat Pseudulus: DABO inque.* SIMO. *At enim scin quid mi in mentém venit?*, miramur Simonem non ita, ut interrogatus a Pseudulo erat, spondere. Nam stipulationem eam esse ostendunt Ballionis verba 4. 6, 6 sq.: *mináe viginti sánae et salvae súnt tibi, hodié quas aps ted ést stipulatus Pseúdulus.*

Eandemque esse Simonis sententiam ea confirmant, quae v. 8 Ballioni respondet: *velim quidem hercle*, et 1. 5, 142, ubi Simo, postquam Callipho eum viginti minas promisisse dixit, haec respondet: *Non demutabo.* Cf. 4. 8, 5: *át ego inultus prómam viginti minas, quás promisi, si éffecisset.* Denique Pseudulus 5. 1, 36 dicit: *núnc ad erum meúm maiorem vénio foedus cómmemoratum.* Quodsi Callipho Ballio Pseudulus Simo consentiunt veram illam ac solennem fuisse stipulationem, stipulatio vero non valet nisi addita sponsione, apparet etiam 1. 5, 124 sponsionem addendam esse. Quare Plautum haec scripsisse censeo:

DABO inque. SI. *Dabo: at enim scin quid mi in mentém venit.*

1. 5, 147. Pseudulus a Calliphone et Simone petivit, ut se intro iam amolirentur ac locum ipsius vicissim fallaciis darent. Annuunt illi. Tum Pseudulus: *set té volo domi úsque adesse.* Utri haec dixisse censendus est? Simonine an Calliphoni? Existimant Simoni: nam tribuuntur ei verba quae sequuntur: *quin tibi hanc operám dico.* Deinde Callipho: *At ego ád forum ibo. iam ádero hic.* Tum abeuntem Pseudulus verbis *Actutum redi* compellat. Sed Simonem in forum abiisse docent quae 3. 2, 107 Ballio dicit: *nam a me híc vicinus aput forum pauló prius patér Calidori pétiit opere máxumo* (sic enim haec videntur scribenda esse) et quod Pseudulus timet 4. 3, 11: *ne erus rédeat etiamdum á foro.* Ac multo verisimilius est Pseudulum optasse, ut Callipho domi maneret, quem sibi favere intellexerat et precibus suis permoverat, ut cum antea rus abire constituisset non iam vellet. Quare personis mutatis scribendum est: *PSEUD. Sed té volo domi úsque adesse. CALL. Quin tibi hanc operám dico. SIMO. At ego ád forum ibo. iam ádero. PSEUD. Actutúm redi.* Nunc ipsum video locum ab A. Fleckeisen eodem modo correctum esse.

2. 4, 39 sq. Charinus interrogatus a Pseudulo, num servum callidum neque Athenis saepe antea visitatum haberet, qui in fallaciis struendis ipsi succenturiare posset, respondet: *pósse opinor mé dare hominem tibi malum et doctúm, modo qui ád patrem advenít Carysto, nécdum exit ex áedibus quóquam neque Athenás advenit úmquam ante hesternúm diem.* Sed *ad patrem* F. Ritschelii est coniectura, cum codd. *a patre* habeant, quod prorsus non possum intelligere cur mutatum sit. Neque enim raro cives attici sedem ipsi in urbe peregrina fixerunt, Athenis in aedibus suis filios reliquerunt. Omnibus nota, quae Cornelius Chabriae c. 3 narrat: *Neque vero solus ille* (Chabrias) *aberat Athenis libenter, sed omnes fere principes fecerunt idem. — Itaque Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Threcia, Timotheus Lesbo, Chares Sigeo.* Theopompum ille secutus, cuius verba Athenaeus 12 p. 532. B servavit. Cf. C. Rehdantz vitae Iph. Chabr. Timothei p. 183 sqq. Ac Cononem et Nicophemum amicum Lysias testatur 19 §. 36 in Cypro insula ipsos domum et rem familiarem habuisse ac tamen utrumque filio Athenis reliquisse quantum satis esset: *ἱκανὰ μὲν ἐνθάδε τῷ υἱεῖ ἑκάτερον καταλιπεῖν, τὰ δὲ ἄλλα παρ' αὑτοῖς ἔχειν.* Quidni igitur patrem Charini res suas eadem ratione ordinasse credamus, Carysti vixisse ipsum, filium Athenis in domo sua reli-

quisse? Quae sententia eo confirmatur, quod Charinus in iis, quae sequuntur, omnia ita pollicetur et agit, ut eum non patris voluntate coercitum, sed sui iuris esse intelligamus. Restituendum igitur, quod est in libris: *a patre*. — Nomen vero, quod est *Charinus*, documentum est Plautum ipsum literaturae genere valde diverso usum esse ab eo, cuius nunc in codicibus vel antiquissimis et optimis vestigia exstant, nec quidquam nos in arte critica faciunda sequi sano iudicio posse, nisi ut eam formam restituere conemur, quam fabulae plautinae, cum Varronis fere aetate transscriberentur, induerunt. Nam cum E. Mehler Mnemos. 1857 p. 476 *Carinum* ex *Charino* facere voluisset, quod *Carino* tanquam a *carendo* dicto v. 46 *Copia* opponeretur, F. Ritschelius mus. rhen. 12 p. 626 recte monuit Plautum eiusque aetatem neque CH neque aspiratis consonantibus aliis usum esse (cfr. Cic. Orat. § 160. Ritschel. tit. Mumm. p. v. mon. epigr. tria p. 27 sq. mus. rhen. 10 p. 449 sq.). Scripsit igitur sane Plautus ipse *Carinus*, cum aequales nomen Graecum, quod erat Χαρῖνος, aliter pronuntiare non possent, sed ut scirent C in hoc vocabulo pro aspirata Graecorum esse: nam Plautus non tantum v. 46 ita lusit, ut *Carinus* a *carendo* nomen habere videretur, sed etiam v. 22 ita, ut χάρις vocabulum in illo nomine inesse significaret: PS. *quis istic est?* CAL. *Charinus*. PS. *Euge, jám χάριν τούτῳ ποιῶ*. Varronis vero aetate graecam similitudinem secuti sine dubio *Charinus* scripserunt; id igitur nobis retinendum est. — Hoc addo, v. 45 sic videri scribendum esse: *Dí immortales, nón Charinust mi híc quidem, set Copia*, cum nunc legatur *non Charinus mi hic quidemst* (vel *quidem est*), nam in cod. A QUIDEMSEDCOP exstare Ritschelius prodidit.

3. 1, 2. Puer Ballionis secum haec loquitur: *Quoi sérvitutem Di danunt lenóniam puerό, simitu quom áddunt turpitúdinem, ne illi, quantum ego nunc córde conspició meo, malám rem magnam múltasque aerumnás danunt.* In his verba *simitu quom addunt turpitudinem* non videntur recte habere. Interpretes puto ea ita intellexisse, ut puer servitute sibi non tantum aerumnas et labores imponi diceret, sed etiam turpitudinem afferri. Quod ferri aliquo modo posset, nisi haec addita essent: *malam rem magnam*. Neque enim recte malae rei magnae turpitudo addi dicitur, quae ipsa mala res magna est. Nec quae supra adscripsi in libris habentur, sed *simitu quom* F. Ritschelio debentur, cum in libris haec sint *atque eidem* (vel *idem*) *si*. Considerans igitur v. *puero* facile adscribi potuisse, ut intelligeretur, ad quem v. *quoi* referendúm esset, *addunt* vocabulo vocem rariorem *danunt* explicari, *eidem* voce id quod sequitur *illi*, v. *turpitudinem* denique vv. *malam rem magnam* videri alieni potuisse explananda esse, haec, inquam, considerans v. 2. iudico delendum esse. — Haec vero scena et quae sequitur cum fabulae totius argumento parum cohaerent nec si deessent desiderarentur. Sed, nisi fallor, et similis huius puer et coquus in alia fabula, an dicam in pluribus, plebeculae ita placuerant, ut poeta personas spectatoribus gratissimas etiam huic fabulae risus captandi causa praeter necessitatem adderet. Eiusdem modi est, quod Anthemonidem militem in Poenulum suam ascivit. De qua re recte monuit is, qui nuper de

T. Macci arte fabularumque generibus elegantissime in mus. rhen. vol. 8 p. 51 sqq. exposuit.

3. 2, 21 sqq. Coquus, quem Ballio in foro conductum secum adduxit, *multiloquus* ille, *gloriosus*, *insulsus*, *inutilis* lenoni de arte sua mira narrat. *Non égo item*, inquit, *cenam cóndio, ut alii coqui, qui mihi condita práta in patinis próferunt, bovis qui convivas fáciant, herbasque óggerunt, eas hérbas herbis áliis porro cóndiunt: indúnt coriandrum, féniculum, alium, átrum olus: appónunt rumicem, brássicam, betám, blitum: eo lásarpici libram pondo diluont: teritúr senapis scélera, quae illis, qui terunt, prius quám triverunt, óculi ut exstillént facit.* Quanquam artis rationes culinariae explicatus difficiles habent, tamen hoc videor intelligere in his versibus aliquid turbatum esse. Apparet enim duo herbarum genera distingui, alterum earum, quae comedendae proferantur, alterum earum, quibus additis priores illae condiantur. Priores sunt, quae v. 26 *apponi* dicuntur, rumex, brassica, beta, blitum; earum, quae ut *condiantur* illae *induntur*, v. 25 et 27. 28 hae enumerantur: coriandrum, feniculum, alium, atrum olus, lasarpicium, senapi. Sic Caelius Apicius de re culinaria 3, 9 betae addi coriandrum et cuminum vel sinapi iubet. Videntur igitur versus 25 et 26 transponendi esse, hoc modo: *appónunt rumicem, brássicam, betám, blitum, indúnt coriandrum, féniculum, alium, átrum olus.* Ita non tantum hi versus, quibus herbae singulae enumerantur, 25 et qui sequuntur, accurate respondent iis, quibus antea genera tantum indicata sunt, 23 et 24: *herbasque óggerunt, eas* (malim *easque*) *hérbas herbis áliis porro cóndiunt*, sed etiam, quae herbae eiusdem generis sunt, ut condiundis aliis addantur, ordine se excipiunt, cum in libris enumeratio earum interposito v. 26 (*apponunt — blitum*) male interrumpatur. Sed in versibus ultimis eorum, quos supra adscripsi, aliud est, in quo haeream. *Senapi* cum omnibus locis generis neutrius sit, hunc unum Plauti versum grammatici veteres latini afferunt, in quo *sinapis scelera* genere feminino dicatur. Charisius inst. gr. l. 1 p. 144, 10 K.: *Sinapis Plautus in Pseudulo, teritur sinapis scelera, quod illi qui terit, prius quam contrivit, oculi ut exstillent facit.* quanquam idem Charisius 1 p. 63, 5 K.: *cummi et sinapi Graeca sunt; et Plautus dixit 'teritur sinapi', cuius genitivus cum s profertur, huius sinapis; ceteri casus similes sunt nominativo.* Servius ad V. Aen. 9, 486: *nec te tua funera mater*] — *vel derivavit veteres secutus, ut funeram pro funesta diceret, ut homo scelerus, sicuti scelestus vel scelerosus dicebatur. Plautus in Pseudolo: Feritur sinapis scelera. In eadem* (4. 5, 3): *nunc iube venire Pseudolum scelerum caput*, i. e. scelestum. Priscianus 6, 12 p. 205, 1 H.: *'hoc gummi', 'hoc sinapi' magis peregrina sunt, quamvis quidam 'haec sinapis' dixerunt, ut Plautus in Pseudulo: teritur senapis scelera, cum illis qui terunt, priusquam triverunt, oculi ut extillent facit.* (*scelerata* codd. RADH). Ex eodem fonte hauserunt Probus instit. gr. 2, 1 p. 107 et p. 128 L., ac Claudius Sacerdos p. 49 Endl. Sed ut *senapis* hoc uno loco inventa est, sic ne *scelera* quidem aliis locis reperitur. Neque haec forma valde

commendatur eo, quod a Servio cum vocabulo, quod est *funera*, comparatur: nam *funera* alio modo interpretanda esse consentimus omnes. Quanquam aliter C. Peter indicavit mus. rhen. 3 p. 124. Ne illud quidem, quo Plautus saepius utitur, *scelerum caput* (1. 5, 32. 4. 5, 3. Mil. Gl. 2. 6, 14. Rud. 4. 4, 54.) ita comparatum est, ut *scelerum* pro adiectivo haberi necesse sit. Existimo potius genitivum esse, pariter atque Plautus *perjuri caput* Pseud. 1. 1, 129. Rud. 4. 4, 55 dixit. Dubito igitur, num haec omnia grammatici recte tradiderint, ex uno illa, nisi fallor, omnia fonte derivata. Apparet enim, quam facili errore *sinapis scelera* accipi pro nominativo singularis numeri potuerit, cum poeta *senapis* genitivum casum, *scelera* accusativum pluralem esse voluisset. Qui error quibus semel obiectus esset, eos in alios errores induci necesse fuit. Nam *teritur* ferri non potest, nisi *senapis* nominativo casu dicta esse existimatur. Ac quae apud Charisium exstant, docent hunc locum aliquando sic scriptum fuisse:

terúnt senapis scélera, quod illi qui terit
prius quám contrivit óculi ut exstillént facit.

Qui *senapim sceleram* dici existimaret, *teritur*, non *terunt* scribendum esse adnotavit, deinde cum *terunt* v. *terit* loco suo depulisset, etiam *illis* et *triverunt* scribi opus fuit. *scelera* vero *senapis* recte videntur dici posse, cum Plautus saepe dixerit *scelus viri* Mil. 5. 1, 41. Truc. 2. 7, 60. Curc. 5. 2, 16. *scelus pueri* Pers. 2. 2, 10. cf. A. Fleckeisen in annall. philol. vol. LX p. 25. Etiam hoc genus dicendi multos parum novisse inde intelligimus, quod Militis loco cod. *A* demum I. Dousae coniecturam confirmavit, cum codd. reliqui *scelus vir* habeant, Persae loco in codicibus deterioribus *puer* legatur. Plautus eodem exemplo *flagitium hominis* Men. 3. 2, 24 dixit, *monstrum mulieris* Poen. 1. 2, 61.

3. 2, 64. *an tú coquinatum* (QUOQUINATUM *A*) *te ire quoquam póstulas* et v. 85: *quanti istuc unum mè coquinare pérdoces?* F. Ritschelius dubitat, defendine *coquinatum* et *coquinare* possit an *coquitatum* et *coquitare* scribendum sit. Ac videtur probare, quod Aulul. 3. 1, 3 *neque ego unquam, nisi hodie, ad Bacchas veni in Bacchanal coquinatum* G. Hermannus elem. doctr. metr. p. 91, Paulum ille Festi (p. 61. M.: *coquitare pro coctitare, id est frequenter coquere, Plautus posuit*) secutus *coquitatum* scripsit. Eodem fere modo vir eruditissimus mon. epigr. trium p. 17: ‘Plautinum *coquinatum*, si fides codicibus Aululariae 3. 1, 3 et Pseuduli 853 (h. e. 3. 2, 64), ubi *coquitatum* legisse Festus p. 61 videri potest?’. Sed quod tribus locis codices Plauti omnes habent, rectissime dictum esse evincere studebo. Ac primum quidem dici non potest vim frequenter coquendi sententiarum rationibus convenire, sed cum in eiusmodi verbis haud raro vis iterativa delitescat, hoc non ita multum valet. At de forma verbi, quod est *coquinare*, copiosius explicandum est. Post C. L. Struvium de decl. et coniug. serm. latini p. 206 F. Ritschelius breviter mus. rhen. 7 p. 315, accuratissime idem mon. epigr. trium p. 17 sqq. exposuit inveniri apud eos, qui seculo sexto a. u. c. scripserunt, verborum formas quorundam productiores, quae a primitivis formis immissa *in* syllaba factae essent, eam vero syllabam *in* per se ipsam quidem brevem

esse, sed coalescere interdum cum vocali radicis propria atque ita in longam crescere. At videntur verborum similium tria genera distinguenda esse. Primum genus est eorum, quorum radici sive in vocalem sive in consonantem terminatae nihil nisi litera paragogica *n* addita est: *sino lino, dano, — cerno, sterno, sperno, temno, po(s)no* (cf. G. Curtius de temp. et modis verbi graeci p. 79), quorum cum reliqua per omnes literarum latinarum aetates in usu fuerint, *dano* (vel *danunt*, nam haec una forma usurpatur) intra fines seculi sexti continetur. Praeter epigramma soranum: (C. Vertulei) *leibereis lubetes donu danunt Hercolei.* apud Plautum duodecies nunc invenitur (cf. Struvius l. d.), item Naevium Pacuvium Caecilium eo usos esse Nonius testatur p. 97, 13. *danit* vero, quod Lipsius Persae 2. 3, 4, et *danam*, quod alii Cas. 2. 6, 22 posuerant, iure nunc sublata sunt. neque *dane* imperativus Asin. 3. 3, 81 probari potest, sed verisimile est Plautum scripsisse: *quidvis egestas imperat: fricentur. dán, quod oro?* cl. Truc. 2. 4, 22: *dan* (= dasne) *suavium?* Quare cum non *in* syllaba, sed litera *n* immissa sit, O. Ribbeckius in annall. philol. 77 p. 183 brevitatem literae *a* analogiae eorum, de quibus deinceps dicam, adversari non recte indicavit. Alterum genus est eorum, quae syllaba *in* radici vel in vocalem vel in consonantem terminatae addita declinationem verborum primitivam, quam vulgo tertiam numerant, sequuntur. Si radix in vocalem terminatur, eam cum litera *i* in unam longam coalescere Ritschelius vidit. Talia sunt *nequīnont* Livii Andronici (Festus p. 162 M.): *partim érránt nequínont Gráeciám redire* (sic Ritschelius l. d. p. 18 scribendum esse vidit), *prodinunt* Ennii Annalium v. 157 V.: *prodinunt famuli: tum candida lumina lucent.* porro *redinunt* eiusdem Ennii Ann. 466 V.: *redinunt in patriam.* Deinde Festus p. 189 M. *obinunt:* obeunt, p. 80 *explenunt:* explent, p. 162 et 286 *ferinunt:* feriunt, testimoniis non additis, commemoravit. Eodem exemplo syllaba *in* cum suffixo verborum incohativorum coniuncta a v. *fruendi* formatum est *frūniscor*, quo Plautus Rud. 4. 3, 73 usus est et Gellius 17. 2, 5 Claudium Quadrigarium, Q. Metellum Numidicum, Novium Atellanarum scriptorem usos esse testatur, Catonem Festus p. 98 M., Lucilium Nonius p. 113, 8. Quod vocabulum cum ita etiam seculo septimo durasse intelligamus, *infrunitus* (quo frui non possis, insulsus) Senecae aetate in usum revocatum est. Similia apparet esse verba *conquinisco, conquexi, conquiniscere* (Plauti Pseud. 3. 2, 75. Cistell. 4. 1, 5. Pomponius Atellanarum scriptor v. 170 sq. R.) et *ocquiniscere*, quod Nonio teste p. 146, 21 idem Pomponius usurpavit: quanquam originatio horum verborum obscurissima est. Literae *in* vero radici in consonantem exeunti additae duo vel tria exempla exstant. *inserinuntur* Livius Andronicus (apud Festum p. 352) dixisse existimatur, quanquam de ea re dubitari potest, nam G. Hermanni sententia (elem. d. metr. p. 625) verba *alia in eisdem inveniuntur* Festo tribuentis habet sane, quo se commendet. Deinde Festus p. 320 M.: *solino idem* (i. e. Messalla) *ait esse consulo.* cf. Paulus: *solino intelligitur consulo*, ut verbum *consulo* ex prisco verbo *solo* factum et pro eo productiore forma *solino* dictum esse sumere iubeamur. Sed ab eodem Festo p. 162 M.

antiqui *solinunt* pro eo quod est *solent* dixisse traduntur. Quod si verum est, tertium hoc est exemplum syllabae *in* radici in consonantem desinenti additae, et quod litera *e* verbi primitivi prorsus omittitur, huic verborum declinationi satis convenit, quam ad similitudinem declinationis primitivae (s. tertiae) accedere homines docti dudum intellexerunt. Sed veniendum est ad tertium genus eorum verborum, quae immissa syllaba *in* declinationem primam sequuntur. Talia sunt *dominari*, *paginare*, *farcinare*: quae a radicibus *dom*, *pag*, *farc* derivanda esse intelligimus, ita tamen ut nomina *dominus*, *pagina*, FARCINUS media interposita sint. De qua origine verborum declinationis primae in universum optime tractavit C. Peter mus. rhen. 3 p. 95 sqq. et 360 sqq. Sic etiam v. *lurcinabundus* (Quintil. 1. 6, 42: *neque enim tuburcinabundum et lurcinabundum iam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor*) et *collurcinatio* (quod v. H. Düntzero debeo de form. et compos. verb. lat. p. 142) ostendunt verbum aliquando *lurcinari* in usu fuisse, a *lurcando* illud medio interposito nomine LURCINUS deductum. Similis videtur ratio v. *natinari* fuisse, quo teste Festo p. 166 M. Cato usus erat, quanquam originatio ignota est (cf. Düntzer l. d.). Etiam verba *destinare*, *obstinare*, *praestinare* a *stando* originem ita ducere existimo, ut nomina *destina* (quo Arnobium usum esse legimus), OBSTINUS, PRAESTINUS media intercessisse putem (cf. A. Pott quaest. etym. 1 p. 197). Praemissa syllabae *in* litera *c* satis multa verba deponentia similiter derivantur: *alucinari*, *latrocinari*, *lenocinari*, *patrocinari*, *ratiocinari*, *sermocinari*, *vaticinari*: quae C. Peter l. d. p. 103 collegit. Superest unum de quo dicam vocabulum, *carinare*. Eo Ennium usum esse Servius ad Virg. Aen. 8, 361 tradit: *Alii* (Carinas nominatas esse dicunt), *quod ibi Sabini nobiles habitaverint, quorum genus irridere et carinare solebat: carinare autem est obtrectare. Ennius: contra carinantes verba atque obscena profatus* (v. 181 V.). *Alibi: neque me decet hanc carinantibus edere chartis* (v. 229 V.). Cf. Paulus Festi p. 36 M.: *carinantes probra obiectantes, a carina, quae est infima pars navis. sic illi sortis infimae.* Quam originationem quanquam ineptissimam esse M. Hauptius observatt. critt. p. 45 concedit, tamen ostendi ea existimat *i* literam in *carinando* longam esse: quare alterum versum *contră carinantes verba aeque obscena profatus* fuisse coniicit, in altero Ennium aut *i* corripuisse aut cum Laurenbergio primam syllabam produxisse statuit. Sed utrumcunque statuimus, veteres Grammaticos, quos Servius et Festus secuti sunt, intelligimus in origine vocis explicanda prosodiam parum curasse. Existimaveris igitur cum maiore veri specie alios *carinare* a *carendo* deduxisse. *Carere* enim, quo Plautus usus est Menaechm. 5. 2, 46 et Naevius usus erat in Cosmetria (s. Commotria) comoedia, Varrone interprete (de L. L. 7 §. 54) est lanam purgare: *carunt ex ea, ait, quod in ea haeret.* A *carendo* igitur *carinare* deducunt C. Peter l. d. p. 125 et L. Doederlein Synon. et etym. 6 p. 53 et, nisi fallor, etiam Ritschelius de tit. mumm. p. xv. quanquam sententiam non aperte explicavit. Sed in versu illo plautino: *inter ancillás sedere iúbeas, lanam cárere* literam

a verbi *carere* videmus longam esse, apud Ennium videtur utroque loco brevis fuisse. Quare ne a *carendo* quidem, h. e. carminando, *carinare* derivari potest. Coniicio igitur ab ea radice CAR vel CAS, a qua *carmen* et *Casmenae* dictae sunt, cum significaret fere idem quod *canere*, *clamare*, factum esse CASINUS vel CARINUS, horum vero nominum propaginem esse *carinare*. His ita disputatis videmur ad Plautum redire posse. *coquinare* enim in verbis tertii generis numerandum est, a coquendo eodem modo, de quo vidimus, ita rectissime propagatum, ut nomen COQUINUS interpositum fuisse medium statuamus. Quod nomen *coquinus* eandem cum v. *coquus* videtur rationem habere, quam inter *iter* et *itĭner*, *iecur* et *iecinur*, *femur* et *feminur* esse F. Ritschelius docuit mus. rhen. 7 p. 312 sqq.

4. 2, 32. Ballio conspecto sumbolo: *Eho, Pólymachaeroplágides*, inquit, *púrus putus est ípsus: novi.* Sed in cod. *A* est IPSUST. Scribemus igitur *púrus putus est, ípsust, novi.* Ne quis enim in repetito v. *est* haerere posset, Ritschelius ipse effecit iis, quae in prolegom. Trinummi p. cx. explanavit. Etiam 4. 6, 3: *O fórtunate, cédo fortunatám manum,* cum in cod. *A* exstare haec dicantur: FORTUNAI . . . . . OMANUM, legendum esse statuo: *O fórtunate, fórtunatam cédo manum.*

Denique 5. 2, 26 videndum est de verbis *habeo tergum.* Simo irascitur Pseudulo, quod viginti minarum, quas si ille Ballioni Phoenicium eripuisset se daturum spoponderat, ne *aliquam partem* quidem *gratiam facere audeat* (v. 23). Videtur aversus a Pseudulo stare atque abire velle. Tum Pseudulus *Quid minitare?* inquit, *habeo tergum.* eoque efficit, ut Simo primum attendat, deinde redeat (v. 28). Quomodo igitur haec vis in verbis illis inesse potest? Pseudulus neque dicere potest, se tergum Simonis tenere, eum igitur abire non posse, neque se tergum habere, quo verbera tolerare possit, se igitur minas Simonis nihil curare: utrumque enim ineptum foret. Neque A. Fleckeisenii coniectura, qui *habeo domi tergum* scripsit, sententiae loci puto satisfactum esse. Videamus, num alio modo succurri possit. Simo avarus est atque in eo ars poetae cernitur, quod hunc hominem argenti tenacissimum finxit sua ipsius sponsione cogi Pseudulo viginti minas solvere. Speraverat ille fore, ut Pseudulus accipere non auderet. Hic cum lubentissimo animo se auferre dixisset, petiit, ut certe partem illius argenti sibi condonaret. Negat Pseudulus. Tum iratus Simo abire vult. Nunc redit. Quanam re putamus Pseudulum hoc efficere potuisse, nisi spe monstrata recuperandi argenti? Eam monstratam esse docent etiam ea, quae v. 28 Pseudulus dicit: *Si is, aút dimidium aut plús etiam faxo hinc feres.* Quare pro verbis illis *habeo tergum*, in quibus etiam F. Ritschelius non dubitat quin corruptela lateat, dico Plautum scripsisse: *aven argentum?*

Gottingae d. XXII. m. Iulii a. MDCCCLVIII.

RECITATIONES ORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

J. G. REICHE, Dr., 1) publice h. IX—X diebus Lunae Martis et Mercurii *quatuor evangeliorum ea capita, quae de passione morte resurrectione Domini nostri Jesu Christi agunt, exegetice et dogmatice* exponet; 2) privatim h. XI—XII quinis per hebd. scholis *isagogen in libros N. T. canonicos historico-criticam* tradet.

FRIDERICUS EHRENFEUCHTER, Dr., publice *Seminarii regii homiletici* exercitationes moderabitur die Saturn. h. X—XII, item publice *Exercitationes catecheticas* moderari perget die Saturn. h. V—VI. Privatim *Theologiae practicae* partem priorem tradet, i. e. prolegomena, doctrinam de propagatione fidei, praecepta de arte catechetica, quater, dieb. Lun. Mart. Jov. Vener. hora III—IV. *Historiam theologiae recentioris ratione habita historiae culturae universalis* enarrabit quater per hebd., dieb. Lun. Mart. Jov. et Vener. hora XI—XII.

J. A. DORNER, Dr., *Evangelium Joannis* quater h. IV interpretabitur; praeterea hora XII. *Doctrinae typum* qui apud *Protestantes* floret delineabit eiusque *historiam* inde a sec. XVI usque ad recentiora tempora enarrabit quinis senisve horis; denique societatem theologicam moderari perget die Mercur.

LUDOVICUS DUNCKER, Dr., *Historiae Ecclesiasticae partem priorem usque ad Gregorium VII pertinentem* h. VIII—IX, *eiusdemque historiae partem posteriorem* hora e tabulis publicis indicanda sexies p. h. enarrabit. Societatem theologicam moderari perget.

